



**Disputationvm De Censuris In Commvni,
Excommunicatione, Svspensione, & Interdicto, itemque
de Irregularitate, Tomvs Qvintvs**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, Anno Domini M. DC. XVII.

6 De conditionibus necessariis vt Censura sit iusta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94035](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94035)

priorem rationem opinor talem actum non priuari sua efficacia, & effectu, propter solum metum. Si cut, si superior per metum cogatur aliquid præcipere cum vera voluntate obligandi satis manifestata, reuera obligabit: neque est cur illa voluntas inefficax reddatur: nam hoc potius esset in nocumentum ipsius superioris, maximè cum, transacto metu, possit superior reuocare præceptum. Idem ergo erit in censura ferenda: est enim eadem seu proportionalis ratio.

Censura metu illata non est iure positio irrita.

Quòcirca cum iure positio nihil expressè statutum sit de censura ex metu illata, probabilius censeo etiam ex hac parte talem censuram non esse irritam, sed habere facile remedium, si iudex, qui illam tulit, eam velit reuocare. Imò, si non detur locus consulendi ipsummet latorem censuræ, vt illam reuocet, vel declaret non fuisse suæ intentionis per talem censuram ligare, probabile est, præsumi posse rationabiliter, talem iudicem non habuisse intentionem ligandi, sed solum exterius sententiam protulisse: nisi alioqui expressis verbis eius, quæ non possint alium sensum continere absque mendacio, constet, illum habuisse talem intentionem, quamuis semper securius sit, absolutionem à tali censura procurare, aut ab ipsomet iudice intentionem eius agnoscere. Quod si consultus ipse dicat, se habuisse intentionem ligandi, & in ea velit persistere, ita vt licet prius illam ex metu tulerit, postea eam auferre nolit; sine dubio censeo illam & valuisse, & validam permanere, donec ab eodem, vel ab alio superiori potestatem habente tollatur. Neque ex dict. c. vnico, de iis, quæ vi. in 6. sufficiens argumentum sumitur ad ostendendum, iure positio talem censuram esse irritam, vt ratione superius facta in prima sententia recte declaratur.

Quin potius Abbas in capit. 2. de iis, quæ vi. numero 17. inde colligit argumentum in contrarium, quia cum specialiter Papa id prouiderit circa absolutionem, argumentum est, in reliquis nullam esse factam mutationem. Et ex superius dictis est optima ratio differentia; nam, quòd absolutio metu exorta sit irrita, est fauor Ecclesiasticæ potestatis, & fuit moraliter necessarium, vt pastores Ecclesiæ ab his vexationibus essent immunes. At verò quòd censura metu illata sit irrita, non est fauor potestatis Ecclesiasticæ, sed eius, in quem fertur talis censura, nam Ecclesiæ nihil interest, quòd talis censura irrita sit, sed melius est vt eius potestas suum habeat effectum, cum integra maneat ad reuocandum illam, si oportuerit. Neque etiam fuit id moraliter necessarium, quia huiusmodi vexationes, vel nullæ, vel rarissimæ sunt. Accedit etiam, quòd ad extorquendam absolutionem sæpe potest vis inferri ab eo homine, qui absolendus est: ad ferendam autem censuram minimè. Metus autem, quando per iniuriam inferitur ab eodem, circa quem exercetur actus, merito potest, aut debet irritare talem actum, non solum in iure positio, sed etiam interdum in naturali. De qua re latius in locis supra citatis. Itaque in præsentia, si consensus sit voluntarius, & liber, quantum sufficit ad actum simpliciter humanum & moralem, satis erit, etiam si metus interueniat. Quod ex eo tandem confirmari potest, quòd si metus sit iustus, vbi Rex compellat Episcopum ad ferendam sententiam contra aliquem, iustam, & necessariam Reipublicæ: compellat autem grauib. comminationibus iustis, & intra latitudinem suæ potestatis: tunc sine dubio sententia illa valida est: & sæpè ad commune bonum Ecclesiæ expedit: ergo idem erit, etiam si metus sit iniustus illatus. Item inuoluntarium secundum quid æquale interuenit in vtroque casu: iniuria vero, quæ admiscetur, parum refert ad irritandam censuram.

A Semper tamen supponimus, talem voluntatem esse iustam, id est, habentem iustam, & sufficientem causam ad inferendam censuram. Nam ex defectu talis causæ potest & voluntas reddi impotens, & censura nulla. Quæ autem sit hæc causa, & quando ex defectu eius censura nulla sit, explicabimus melius infra disputatione quarta. Denique voluntas hæc etiam esse debet efficax seu operatiua ad extra: nam censura non potest induci per solum interiore actum voluntatis potestatem habentis: sed necesse est, vt in aliquem actum exterioriorem prodeat, quo suum exequatur effectum, nam hæc efficientia moralis est inter homines, qui de interioribus non iudicant. Quis autem sit hic actus externus, & quomodo fieri debeat vt effectum consequatur, in sequente disputatione dicemus.

SECTIO VI.

Quid necessarium sit in inferente censuram, vt recte & conuenienter illam inferat.

Questio hæc intelligi potest, vel absolute de rectitudine morali, vel specialiter de rectitudine iustitiæ. Si priori sensu intelligatur, satis est respondere, seruanda esse generalia principia morum, & ad præsentem actionem applicanda, nimirum, necessarium esse, vt talis actio habeat obiectum iustum, & bonum, vt statim in secundo sensu declarabimus: nam tale obiectum ad materiam iustitiæ pertinet, & quod nulla praua extrinseca circumstantia violetur. Hoc enim ad absolutam rectitudinem moralem in quolibet actu humano necessarium est. Primum ergo oportet, vt iudex non ferat talem sententiam ex prauo affectu odij, aut vindictæ, vel alterius similis affectus: huiusmodi enim intentio vitiat actum moralem, vt per se notum est, & præsertim actum iudicandi, vt eleganter docet Ambrosius in capite. Iudicet. 3. quæst. 7. & Gregorius in capite. Iudicare. 11. quæstion. 3. vbi multa alia de hac materia referuntur, & optime in capit. 1. de Sent. & re iudicata in 6. Tamen, quia huiusmodi intentio per se non pertinet ad materiam iustitiæ; ideo, si aliunde actio iniqua non sit, non propterea erit inualida ad censuram inferendam. Hæc ergo conditio ad bonos mores requisita est, non ad valorem censuræ, per se loquendo. Quod ideo addo, quia interdum talis intentio potest ita præcipiem agere iudicem in censura ferenda, vt substantialem defectum committat: tunc vero censura erit nulla ex alio defectu, non ex sola intentione.

Rursus necessarium est, vt iudex alioqui prohibitus non sit, vel eo tempore, vel loco, vel simpliciter, ne censuram ferat: ita tamen, vt prohibitio neque potestatem auferat, neque vsum eius omnino irritet, sed prohibeat tantum: hoc enim sæpè accidere potest. Vt verbi gratia, si prohibitum sit die festo censuram ferre, aut in tali loco. Sic etiam, qui censuris excommunicationis, vel suspensionis est affectus in re ipsa, denunciatus autem non est, prohibitus est ferre censuram, tamen si illam ferat, non propterea inualida erit, vt tractando de excommunicatione, & de suspensione dicemus. Denique, interdum potest superior prohibere inferiorem, ne confessiones audiat, non auferendo iurisdictionem, sed solum vetando vsum: & tunc licet inferior peccet, transgrediendo tale præceptum: actio vero ipsa, seu absolutio valida est: ita ergo in hac potestate iurisdictionis accidere potest. His ergo modis potest esse iniqua actio ferendi censuram.

Quid necessarium sit ut censuram recte moraliter feratur.

Non debet ferri ex prauo affectu.

Ambros. Gregor.

Non est intentio diabolica substantialis

Non debet ferri à iudice prohibito.

cenfuram contra charitatem, vel obedientiam, aut aliam virtutem, etiam si non sit contra iustitiam, quamuis interdum soleat talis censura vocari iniusta, quatenus opponitur iustitiæ vniuersali, quæ omnem virtutem includit: talis autem iniustitia non obstat, quo minus censura sit valida, quia illa rectitudo, quam auferit, est accidentalis, & extrinseca ad rationem censuræ.

Quid necessarium sit in ferente censuram, ut illa ex iustitia feratur.

Circa alium sensum, qui est magis proprius oportet aduertere triplicem esse iustitiam, ad quam spectare potest hæc actio ferendi censuram. Prima est iustitia legalis, quam maximè seruare tenetur iudex in sententiis ferendis, & superior in condendis legibus: nam est persona publica, quæ maximè curare debet commune bonum. Et ad hoc pertinet, ut in censura ferenda iudex seruet ordinem à iure præscriptum: hoc ergo etiam requisitum est, ut censura rectè feratur, ut per se manifestum est, & aperte traditur in capite primo, & capite. *Sauro, de Sentent. excomm. in 6.* An verò hoc requisitum pertineat tantum ad rectitudinem, & honestatem actionis, vel etiam ad valorem censuræ, constabit melius ex dicendis disputatione sequenti. Nam interdum tale requisitum solet esse substantiale, ideoque ad valorem actus necessarium: interdum verò accidentale tantum, & tunc pertinebit solum ad honestum, ac debitum operandi modum. Quando autem sit substantiale, vel accidentale requisitum, dicemus prædicta disputatione.

Rursus potest hæc actio pertinere ad iustitiam distributiuam: nam ex sententia Diui Thomæ 2. quæstion. 63. articulo quarto, in iudicio, vel sententia ferenda, seruanda est distributiuia iustitia: ferre autem censuram actus quidam iudicii est, vel formaliter, vel virtute. Hæc verò iustitia distributiuia talis est, ut habeat adiunctam commutatiuam: nam, licet hic interueniat forma iustitiæ distributivæ quatenus in censura ferenda non debet respici persona, sed causa, nec debet excludi à participatione communium bonorum, nisi qui indignus est illis; tamen ad ipsum tenetur iudex ex commutatiua iustitia, ad quam spectat, ut nemo ultra condignum puniatur. Et ideo hæc actio etiam habere debet rectitudinem iustitiæ commutativæ: imò hæc est veluti substantialis rectitudo talis actus: alie verò secundum quasdam communes rationes, seu conuenientias, aut participationes aliarum virtutum, illi conueniunt. Requirit ergo hæc actio æqualitatem quandam rei ad rem (quantum in hac materia inueniri potest) ut iusta sit. Hæc autem æqualitas potissimè æstimanda est ex causa ferendi censuram: & ideo illa maximè consideranda est, & obseruanda: & è conuerso illa censura maximè propriè iniustitiam continet, quæ sine legitima, aut condigna causa, fertur. Quæ autem sit hæc causa, & quando ex illius defectu censura sit nulla, dicemus ex professo in disputat. 4. quare de his conditionibus hæc sufficiant.

DISPUTATIO III.

De variis modis ferendi censuras, & de distinctione censuræ à iure, vel ab homine.

In hac disputatione explicanda à nobis est forma ferendi censuram: quæ non tam est forma ipsius censuræ, quam illius actionis, per quam censura fertur: & ideo ad perfectè cognoscendam efficientem causam censuræ, modum etiam cauendi cognoscere necesse est. Modus autem hic in duo principalia membra diuidi solet, scilicet per legem, aut per hominem. quæ obrem ab hac diuisione incipiendum nobis est, & deinde in singulis membris quid in eis obseruandum sit, exponendum.

SECTIO I.

Verum, Rectè diuidatur censura in eam, quæ à iure, & quæ ab homine fertur.

Ratio dubitandi est, quia nulla censura fertur, nisi per humanam potestatem, ut supra diximus: potestas autem humana in homine est, quæ non operatur, nisi ipso homine per ipsam operante: ergo nulla est, neque esse potest censura nisi ab homine, id est, per hominem illata. Rursus è conuerso nulla esse posse videtur, quæ non sit à iure: hoc enim ius, ut supra ostendimus, non est diuinum, sed tantum humanum: quod non est nisi lex, vel præscriptum hominis: nulla est autem censura, quæ feratur nisi ut coniuncta, vel annexa alicui præcepto humano: nam censura, ut infra dicemus, non infertur propter peccatum præteritum, ut præteritum est, sed ut aliquo modo respicit futurum, videlicet medio aliquo præcepto, quod de peccato vitando, aut reparando imponitur: ergo omnis censura medio aliquo iure imponitur.

Hæc dubitatio soluetur faciliè explicando significationes harum vocum. Præcipua verò difficultas est in declarando altero membro diuisionis, scilicet quando, & quo modo esse possit censura à iure. Itaque dubium non est, quin omnis censura proxime fundetur in alicuius hominis voluntate ac potestate; quo sensu omnis censura potest dici lata ab homine, ut proposita dubitandi ratio concludit. At verò duobus modis potest homo ferre censuram. Vno modo ferendo legem stabilem ac permanentem, obligantem sub hac pœna, quam ipso facto incurrant eius transgressores. Alio modo potest homo ferre censuram proferendo sententiam, aut præcipiendo aliquid in singulari actione vel negotio, in quo non stabilis ius, aut statutum permanens, sed transitorium mandatum. Quando ergo censura fertur primo modo, dicitur esse à iure: quia licet ius ab homine processerit, iam verò talis censura in ipso iure continetur. Quando vero censura fertur posteriori modo, retinet veluti commune nomen, & quasi per antonomasiam, vel accommodationem vocatur censura ab homine. Atque hoc sensu diuisio illa communis est omnium Theologorum, & Canonistarum; qui frequentius illam tradunt de excommunicatione. Est autem eadem ratio de suspensione, ut notauit Abbas in c. ult. de Cler. excomm. ministr. n. 4. Caiet. Syluest. & alij Summist. verb. *Suspensio*. & idem etiam est de interdico, ut notauit Calderinus in tractatu de interdico, i. part. eius, quamuis hæc censura rarius videatur ipso iure ferri, ut suo loco dicemus. Est itaque hoc sensu clara diuisio & sufficiens: nam omnis censura, quæ non fertur media aliqua constitutione, quæ propriam rationem iuris habeat, vocatur ab homine: per hominem intelligendo vel singularem personam, vel Collegium hominum, ut supra notauimus.

Quo-